

DE PARENTIBVS NATI

Si Aries fuerit in prima, Saturnus in piscibus, & Sol in Aquario, uel in quadrato P. scium, pater nati prius interibit, hoc si Lunæ contingeret, mater. Si uero his sic ordinatis, Mars uel Saturnus ex quadrato eos aspexerit, iussu regis mortem denunciat, nisi scilicet Iouis testimonium intercesserit.

Si pars fortunæ infortunata & combusta fuerit in signo masculino, pater prius morietur quam mater. Si in femino, e contra.

Si dominus patris partis supra terram, & dominus partis matris sub terra fuerit, mater prius morietur.

Dodecatemorion Iouis in Ascendente, significat nobilitatem parentum eius, & potentiam ipsorum.

Dodecatemorion Solis aut Lunæ in Medio coeli, significat nobilitatem patris & matris. Sed in duodecima, significat depressionem parentum, & negociorum ipsorum, & quod sint uilis progeniei.

Pars patris & matris in angulo occidentis, significant paupertatem & seruitutem parentum. Idem significant in octaua. In secunda, sexta, aut duodecima, significant etiam modicam durabilitatem parentum, uel quod cito morientur.

Si Venerem & Lunam in septima Mars malignè aspexerit, mater repentina aut uiolenta morte decedet, significatq; nato malum in oculis, & tandem uiolentam mortem.

Si Mercurius orientalis in quarta fuerit, nato detegentur multa secreta.

Pars fortunæ & luminaria fortunata, significant patrem & matrem diuites & longæuos.

Si significatores patris & matris infortunati existunt, pater & mater erunt infortunati ac breuioris uitæ.

Quarta domus si fuerit Scorpius, & ibi Luna, significat matrem fuisse seruam & ipsam moriturâ mala morte. Si Sol in eodē situ fuerit, patrem seruilis conditionis fuisse iudicabis. Quod si Saturnus cum aliquo eorum fuerit, natus nunquam habebit filios. Si Venus ibi sola fuerit, natus infelices contrahet nuptias, uersus finem uitæ habebit quietem, fortunam & societatem nobilium, multas diuitias. Et si fuerit in signis sterilibus, & Luna in eius opposito, natus erit sterilis, & aget cum masculis.

Exemplum prædictorum propositæ genituræ.

